

sunt, e. g. notitia linguarum, ut uocantur, orientalium, philologia, ac literaturae, tam sacrae, quam profanae cognitio, rei nummariae, antiquitatis, ueterumq; scriptorum peritia. Quanquam eiusmodi doctrinarum studium, ubi cum ceteris prudenter coniungitur, etiam uiris illustrioribus non parum ornamenti conciliare potest, ut uel unicum SPANHEMII, excellentissimi quondam apud Britannos Legati Prussici, exemplum docet. (g)

REGVLA VI.

Peregrinaturus, prout conditio ipsius tulerit, uel peritum itineris comitem, uel idoneum probumque ephorum sibi adsciscat.

EXPOSITIO.

PRaeter ea, quae hactenus a nobis sunt recensita, uaria admodum peregrinaturi dantur adiuncta, ut eadem uocat BERNEGGERVS, (a) tum rationalia, e. g. comitatus et famulitia, tum irrationalia, eaque partim animata, e. g. equus, canis, partim inanimata, e. g. moneta, uestes, libri. Sed uulgaria haec sunt, tamque nota, ut prolixis ea praeceptionibus tradere hoc minus operae pretium uideatur, quod iis partim facili sibi negotio prospicere possit peregrinator, partim sine dispendio carere. (b) Id uero peregrinaturus sedulo curare debet, ut talem nan-

(g) Extat praeclarum eius opus de usu et praestantia numismatum, nouissime editum Londin. et Amstel. 1717.

(a) In cit. dissert. §. XXX. seqq. ubi omnia fere adiunctorum genera recenset.

(b) Famulos scilicet, equos, canes, uestes, libros, in ipsis, quae peregrinaturus adire statuit, locis comparare, consultius plerumque est, quam eiusmodi sarcinis molestam difficilemque reddere profectionem, sicuti et tutius censeretur, cambialibus,